







Q. D. B. V.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO CAROLO  
BORVSSÆ PRINCIPE MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO RELIQUA

PRAESIDE  
FRIDERICO HOFFMANNO  
COLLEGII MED. h. t. DECANO

DE  
VSV INTERNO  
CAMPHORÆ SECV-  
RISSIMO ET PRÆ-  
STANTISSIMO,

PRO DOCTORIS GRADV  
publice disputabit  
M. CHRISTOPH. HENRICVS KEIL,  
Oelfnitio Variscus

H. L. Q. C.

Ad. d. XV. Decembr. Anno M. DCC. XIV.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
Litteris CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, acad. typ.









DISSERTATIO SOLENNIS  
DE  
**CAMPHORÆ USU**  
**INTERNO SECURISSIMO**  
**ET PRÆSTANTISSIMO.**

PROOEMIUM.



**M**edicamenta sua etiam  
fata experiri, nemo facile, nisi  
qui rudis sit historiae medicae, in  
dubium revocabit. Quid enim  
frequentius occurrit, quam quod  
non tantum diversae circa remediorum efficaciam  
apud Medicos vigeant opiniones, sed & quaedam in-  
terdum ob mirabilem maxime qua celebrantur, viri-  
um potentiam, ad caelum usque tollantur, quae in-  
tervallo temporis ob noxam, quam forte crearunt,  
iterum culpantur & ad ima usque deprimuntur. Ne-

A 2

que



que tantum ab antiquis præstantissimis Medicis maximopere commendata inque Pharmacopœis recensita medicamenta cum primis composita hoc fatum sustinent, sed maxime nostris temporibus, quibus medicina magis exulta & in ferentem lucem adserta est magnificæ famæ, quæ extiterunt remedium genera, paucis abhinc annis laudem atque existimationem suam penitus ferme amiserunt. Quanta enim famæ celebritas fuit paucis abhinc annis Laudano opiato *Helmontii*, Elixirio Proprietatis *Paracelsi*, Antihectico *Poterii*, Aquæ benedictæ *Rulandi*, specifico cephalico *Michaelis*, Tincturæ ejus bezoardicæ, Pulveri bezoardico *Sennerti*, Spiritui oleoso volatili *Sylvii*, Tincturæ aperitivæ *Mœbii*, Tincturis ferme omnibus martis, Bezoardico sic dicto solari, Joviali, Cerussæ Antimonii, bezoard. minerali Panacæ *Glauberianæ*, Theriacæ cœlesti *Quercetani*, Sali viperam *Tachenii* fixato, Sali volatili Cornu Cervi, Chinæ chinæ, illis, qui in artis operibus indefesso studio versantur notissimum est. Utpote hæc ipsa velut polychresta & arcana ob mirabilem & pene divinam virtutem ipsis concessam recondebantur, quorum tamen fama atque existimatio nostris ferme temporibus perit atque



atque exspiravit, eo quod conceptam medentum  
 spem maxima ex parte eluserint. En miseram artis  
 nostræ faciem, quæ nunquam fere sibi constat, sed  
 semper innovatur, reformatur & immutatur! Enim-  
 vero nolo hoc loco ipsa culpæ vel accusare remedia,  
 quibus eximias vires agendi in summovendis mor-  
 bificis causis utique Numen benignissime infudit, sed  
 Medicorum coarguo ignorantiam, inconstantiam, in-  
 que judicando & applicando præcipitantiam: quo-  
 rum plurimi, cum parum docti & solidi sint & recte  
 ratiocinandi usu ac arte destituti, hinc in sentiendo  
 sunt inconstantes, huc vel illuc agitantur, inque diver-  
 sas partes facile distrahuntur: maxime omnium vero  
 eorum opinionibus, quos fama vulgi, casus, aut cæca  
 fortuna forsan extulit, & qui in adplausu & existimati-  
 one vivunt, inhærent. Alii in Præceptoris & Magistri  
 sui, quem sæpius etiam sorte nanciscuntur, unice ver-  
 ba jurant, ejusque dicta quasi Apollinis Delphici oracu-  
 la æstimant. Complures, dum a certi remedii usu si-  
 nistrum vel dextrum effectum observant, protinus  
 hunc soli remedio nulla aliarum causarum concurren-  
 tium habita ratione, quæ multum remedii virtutem  
 modificant, adscribunt, & hinc noxium aut proficuum  
 in his vel illis evincendis morbis illud existimant, si-





que tantopere decantatum remedium votis & expectationibus non recte respondet, tunc mox ad alia ab aliis magnifice laudata, vel etiam ad exotica transcurrunt, quo efficitur, ut nunquam recte notitiam remediorum facultatis atq; potentia quæ tamen ferè præcipuam therapia medicæ partem sustinet, acquirant. Maxima itaque scientiæ & prudentiæ Medicæ pars est, nosse medicamenta, nosse eorum facultates ac vires, neque minus eorum usum ab abusu recte distinguere, ita enim fiet, ut neq; ipsis nimium laudis vel virtutis tribuamus, neq; nimium detrahamus. Præfari hæc voluimus cum nostri instituti sit de interno præstantissimo Camphoræ ususpecimine Inaugurali nostras observationes atque rationes exponere. Neque enim ignotum est, quam præstans atque eximius camphoræ sit usus externus, at nescio, quo fato ejus internus usus minus tutus atque suspectus adhuc creditus fuerit, cum tamen non facile in rerum natura simile detur remedium, quod majores in medendo camphora effectus exhibeat. Hoc vero est, quod in præsens deducere atque rationum & observationum momentis corroborare constituimus. Cui labori ut gratiam atque benedictionem ex alto benignissimum Numen addat, supplici prece efflagitamus.

§. I.



§. I.

**P**Rius vero, quam de interno camphoræ usu & ejus admiranda in compluribus morbis depellendis efficacia differamus, quædam de illius origine, solo natali atque natura peculiari præmittenda esse censemus. Quod itaque ad ejus originem ac generationem attinet, est ipsa fœtus arboris glanditeræ in India Orientali, cujus folia & radices tenerrima tali resina sunt imprægnata, unde etiam arbor camphorifera adpellatur. Fusiorem vero hujus arboris descriptionem exhibuerunt *Breynius in exoticis Plantis Cent. 2.* & *Kleyerus in Annotat.* Crescit hæc arbor in Japoniæ silvis absque cultura insigni in abundantia, radicem habet crassam, densam, subrusam & ligneam, quæ admodum olet camphoram, cortex est inæqualis ac grysei coloris, lignum vero solidum, ponderosum, subfuscum, oleoso humore turgidum & identidem camphoræ odorem de se spargit, rami ob longi, late expansi atque divisi foliis alternatim positis gaudent palmam longis & duos transversos digitos latis, referunt Cassiæ ligni folia & contritu fragrantissima camphoræ effluvia emittunt. Hæc arbor ad quercus altitudinem in India quandoque adsurgere dicitur. Perpetua fronde viret & sub nostro quoque climate culturam fert, modo ab acri gelu & ventis borealibus solicite defendatur. Eam non modo in horto Medico Leidensi, sed etiam in famigeratissimo illo Schwebbelensi, quem ingenti sumtu adornavit generosus Dominus de Mynchhausen, vidimus. Neq; vero tantum in uno eodemque Indiæ loco progignitur, sed alibi quoque ejus proventus visitur, utpote in Sumatra & in Insula Borneo sponte



sponte & copiose in filvis crescit, nec multum a Japonica distat. Quando inciditur hæc arbor, profluit oleosus succus, qui particulas camphoreas non paucas continet.

§. II.

Hæc itaque arbor camphoram nobis largitur, quæ non uno modo ex ipsa elicitor. Distinguitur autem camphora in nativam & factitiam, illa granulata est, & ex arborum trunco Solis æstu sponte transsudat, vel ex fisso aut inciso ligno prolicitor & rarissima est: factitia vero, quæ ad nos in glebas & panes compacta transportatur ex radicibus, ligno, ramis ac foliis dissectis ignis officio coctione extrahitur atque sublimatur. Nativa maxime ex Sumatrana & Borniensi arbore depromitur. Japonenses vero per destillationem longe majorem ejus quantitatem obtinent, segmentis enim adfundunt aquam simplicem sufficienti quantitate, & postea in vesica, quæ collo longo ac angusto & capitello lato est instructa, destillationem adornant, in capitello vero ipsa camphora colligitur, ac condensatur. Quodsi opus esse censetur, denuo sublimatur, quo præstantior puriorque evadat. Perspecta jam genes; ac origine camphoræ, res poscere videtur, ut ejus quoque in naturam ac indolem paulo penitius inquiramus. Persecuturis vero excellentissimi hujus simplicis naturam & proprietates paulo adcuratori indagine ac meditatione, in universa rerum natura vix simile sibi aut par haberi jure pronuntiandum est. Quare etiam ob peculiare sibi proprias vires ac qualitates, ad quod genus vel speciem referenda sit, nondum inter Medicos & Physicos consensus est. Veteres camphoram pro  
resina



resina habuerunt, eo quod ex arbore incisa succus elicitus instar resinæ inflammabilis concresecat: at verò, num ad resinas camphora sit referenda, merito dubitandum est; nulla enim ex omni resinarum genere seu natura talis seu arte præparata resina fuerit reperitur, quæ accensa nullo cinere relicto tota in auras avolet. Quid quod haud ulla datur resina, quæ vase clauso per ignem tota in altum elevatur. Ea enim est natura atque indoles resinarum, ut vehementiori igne tractatæ, phlegma, spiritum & oleum fundant. Accedit, quod nulla ex resinis nobis cognita sit, quæ tam promte insignem quantitatem Spiritus Vini rectificatissimi recipiat atque absorbeat, sicuti id observare licet in camphora, cujus pars una exacte a Spiritu Vini rectificatissimi partibus duabus dissolvitur.

§. III.

Cum itaque camphora inter resinas vix commodum adinveniat locum, hinc recentiorum nonnulli in eadem iverunt opinionem, ut camphoram salis volatilis oleosi possidere naturam adferrent, impulsu maxime ad hanc sententiam ex eo, quod instar salis volatilis oleosi accedente calidiore igne non modo tota in auras avolet, sed & in clauso vase ne minima quantitate relicta in sublime feratur. Verum enimvero etiam hi ipsi mihi ac veritatis tramite valde aberrare videntur, utpote nullum datur sal oleo etiam intime imbutum, quod in flammam abripiatur vel quod cum rectificatissimo Spiritu vini aut oleo quodam arctissimam unionem subeat. Et qui camphora salis titulum jure mereatur, cum solutionem in aqueis menstruis penitus aversetur? Neque isti rem accurata acu tangere mihi videntur,

B



qui inter gummata illam collocant, quia & solutione & volatilitate plane cum ipsis nullam alit adfinitatem. Nostra vero hæc est sententia: camphoram nihil nisi oleum volatile tenuissimum esse, ast coagulatum, non liquidum. Id vero multis iisdemque firmissimis rationibus corroborabimus. Primo enim multæ dantur species fragrantis odoris & saporis penetrantis, quæ subtile oleum, quod etiam promptissime sub destillatione in vesica cum aqua fundunt, in se custodiunt. Hac ratione non modo ex omnibus fere aromatibus, sed etiam ex plantis oleo volatili turgidis, ut sunt Lavendula, Majorana, Mentha, Romarinus, Ruta, oleum destillatur, unde profecto non mirum est, camphoriferæ arboris partes tale oleum fundere. Secundo, sicuti omne oleum destillatum flammæ admotum mox accenditur atque totum avolat & acerrimam fuliginem emittit: ita etiam idem fit cum camphora, quæ mox flammam concipit, tota avolat nigerrimo fumo exhalante. Dein, quemadmodum omne oleum destillatum in spiritu vini rectificatissimo præsertim tartarificato solvitur, adeo ut partes duæ spiritus unam partem olei v. g. Lavendulæ, in se recipiant intimeque invicem uniantur: ita etiam idem experimentum cum camphora feliciter succedit, dum nempe unica una spiritus vini rectificatissimi promptissime dimidiam camphoræ unciam dissolvit. Et quemadmodum solutioni oleorum cum spiritu vini peractæ adfusa aqua oleosas particulas præcipites dejicit: simili ratione soluta in spiritu vini camphora, menstruo aqueo accedente, rursus fundum petit præcipitatur, mixtura inde reddita turbida albescente. Denique sicuti olea destillata, quibusdam saltim gravioribus aromatibus exceptis, propter levitatem aquæ



quæ supernatant : ita etiam camphora in omnibus aqueis liquoribus in superficie hæret. Postremo camphoram cum oleis destillatis similis ejusdemque esse indolis, vel ex eo colligitur, quod illa in spiritu vini rectificato soluta & per alembicum destillata non simul tota evehatur, sed in fundo cucurbitæ, nisi ulteriori distillatione in alembicum urgeatur, pars illius relinquatur, perinde ac fieri solet cum solutis oleis æthereis in spiritu vini rectificato, quæ distillationi submissa, spiritum oleosa substantia subtiliori quodammodo imbutum, fundunt, potiori tamen olei parte in fundo cucurbitæ relicta, quæ ulteriori commissa igni separatim in forma olei prodit. Hæc exactissima experimenta satis abundanter comprobant, maximam inter camphoram & olea destillata intercedere conformitatem. Quapropter non satis mirandum est, quam inani & frustraneo conatu magni etiam Chymiatri oleum ex camphora destillatum eliciendum quæsierint. Quo fine obtinendo & sua ingenia & nobilissimum hoc simplex dire torserunt atque adflixerunt: ignorabant enim hi lepidi camphoræ carnifices, ipsam jamdum oleum volatile & destillatum esse. Sicuti vero ridiculum est ex oleis destillatis oleum elicere velle, cum jam tale quid sint: ita etiam si quis ex camphora oleum vult perficere, res merito paradoxa dici debet. Decepti vero omnes sunt in eo, quod camphoram resinam esse credebant, quæ sicuti facile per distillationem oleum largitur: ita etiam hoc ipsum ex camphora eliciendum omni studio curarunt.

§. IV.

Verum enimvero non eadem, sed diversa camphoræ natura ab oleis destillatis videtur, cum



hæc solida & sicca, illa vero pigua, fluida quoque & manus madefacientia sint. Deinceps & in eo discrimen notabile observatur, quod oleum volatile denuo ex retorta vitrea per arenam destillatum subtilissimum quidem largiatur oleum, sed crassum magna relinquitur: camphora vero tota in forma sicca, ne ulla materia relinquatur, in auras abit. Quibus dubiis, ut satisfaciamus monendum est, dari quædam simplicia in vegetabilium regno, quæ volatilem illam sulphuream & inflammabilem partem, quam in mixtione custodiunt, non in forma pinguis olei, sed in sicca forma, non secus ac camphora elargiantur. Ita si florum rosar. cum sale bene contritorum ac maceratorum magna quantitas cupreæ vesicæ immittitur & cum aqua destillatur, præter aquam fragrantissimam etiam oleum, quod ipsi supernatat album, coagulatum instar sevi, elargiuntur odoratissimum, quod non secus ac aliud oleum in spiritu vini rectificatissimo dissolvitur. Hujus olei delicatissimi hac ratione perati portionem Præses possidet. Simili modo Præses ante aliquot annos ex ligno aloës tale oleum destillatum instar camphoræ præclucit ingentem nempe raspaturæ ligni aloës odoratissimi ad libras decem accedentis sumfit quantitatem, adfundi curavit aquam fluviatilem, qua per aliquot dies in temperato loco macerata fuit, postea adornata destillatione prodiit aqua, cui oleum siccum, altum, odoratissimum miræ sivevolentia & penetrantis saporis supernatabat & ad drachmas sex minimum collectum fuit. Hoc resolutum in spiritu vini rectificatissimo elegantissimum liquorem cephalicum præstantissimi odoris & virtutis subministrabat. Ex radice recenticam-



camphoræ simile oleum, quod camphoram & ipso odore & virtute æmulatur, destillari ex vesica posse mediante aqua *Hermannus in Collegio manuscripto in materiam medicam* notavit. Ita porro ex cortice radicis Cassiæ cinnamomeæ Camphoram parari posse *Grimmius* docet in *Laboratorio Zeulónico*. Ex cortice vero radicis arboris cinnamomiferæ oleum paratur liquidum, quod camphoræ & cinnamomi fragrantem odorem refert & ex India ad nos transportatur, nullumque dubium est, quin ex aliis fragrantissimis corticibus, radicibus & gummatibus simile oleum siccum per destillationem haberi possit.

§. V.

Quamvis vero camphora ad oleorum athereorum classem perquam commode possit referri, quod ex antea adductis experimentis & rationibus satis superque adparet: nihilominus talismodi sicca olea, ut camphora, præ pinguibus illis liquidis quasdam peculiare & sibi proprias facultates in sinu suo recondunt, multum enim inter se ratione volatilitatis seu tenuitatis partium differunt, nam camphora non modo igne submissio sed & sub moderate calido aëre tota in auras & quidem celeriter avolat & evaporat nullo vestigio remanente: contra vero destillata olea tardissime avolant, emittunt saltim tenuissimas sulphureas partes crassioribus & viscidioribus relictis, unde olea destillata vetusta crassescunt, adeo, ut therebinthinæ consistentiam accedant. Quapropter etiam camphora, ne avolet, longe exactiori custodia & conservationis cura in vasis muniri debet, quam ipsa olea destillata, quorum eva-



poratio non tam prompta & expedita est, sicuti camphoræ. Hanc ob causam Pharmacopœi perperam suis rebus consulunt, quod camphoram citra exquisitam clausuram libero sic aëri committant, falsa traditione & opinione occæcati, quod adpersio seminis lini ejus evaporationem impediatur, cum tamen parum vel prorsus nihil huic scopo inserviat.

§. VI.

Ex hoc igitur adparet, longe majori partium sulphurearum inflammabiliumque tenuitate & exignitate camphoram præ aliis oleis destillatis pollere, utpote quæ viscido quasi quodam & ramoso involucro excipiuntur & custodiuntur quo camphora summe volatilis ac tenera caret. Hæc summa partium sulphurearum tenuitas a viscido pigui involucro liberata efficit quoque, ut camphoræ virtus ab olei cujusdam destillati viribus longe multumque distet ac differat, nam utut camphora tota inflammabilis sit, nihilominus tamen in corpore nostro calorem haudquaquam efficit, adeo, ut potius intensiorem corporis fervorem sistat, quo circa etiam a veteribus non calida, sed frigida habita fuit. Etenim viscidiores & secundum *Cartesii* doctrinam ramosæ olei destillati partes sulphur tenuissimum & inflammabile in carcere quasi irretitum & conclusum habent, ut minus promte per poros corporis evolare possit, sed diutius in corpore maneat, unde etiam intensiorem intestinum sanguinis partium morum melius sustinet atque ruetur. Qua de causa omnia olea destillata, gummata quoque, quæ insignem olei quantitatem custodiunt, ut sunt Gummi Ammo-

nia-



niacum, Myrrha, Balsamum Peruvianum, Sagapenum, Galbanum, sanguinis & humorum massam atque universum corpus mire exagitant, magnumque æstum atque fervorem accendunt, siquidem particulae sulphureæ, æthereæ, quæ omnis intestinae calidæ agitationis causa sunt, anfractuoso, viscido & gummoso contextu involutæ per magus temporis intervallum remanent, neque tam facile ab involucro hoc se possunt emancipare, quare effectus diutius persistit ac durat: secus fit in camphora, cujus partes per poros citissime avolant, hinc etiam una guttula olei cinnamomi plus calefacit, quam decem grana camphoræ. Quod vero viscosa, pinguis & ramosa olei substantia volatilitatem impediat vel ex eo liquidissime patet, quod camphora in oleo amygdalarum dulcium expresso vel in oleo de cedro aut lavendulæ saluta, sub liberiori quoque aëris accessu non facile in auras abeat, sed subtegmine hoc oleoso diutius ejus substantia contineatur. Et hæc forte fuit ratio, quare veteres semen lini ceu valde oleosum camphoræ adjici curarunt, quo minus ejus volatiles partes in aërem secedant, quanquam hic effectus longe felicius obtineri possit, si modo camphoræ superficies oleo amygdalarum dulcium inungatur, quod ad tutelam partium subtilissimarum plus, quam talismodi semen adjectum efficere poterit.

§. VII.

Quod vero Camphora volatilis, tenuissimi & inflammabilis sulphuris copia imbuta sit, vel unice ex sequenti, eoque perpulchro experimento clarissime evincitur. Nostri enim temporibus ex urina fermentata debita encheiresi in Anglia præsertim paratus Phospho-



phorus est celebratissimus, qui levi attritu lucidissimum sine flamma ignem spargit, cujus causa ab acutioribus physicis in partium sulphurearum motu intestino, celerrimo, verticillari non incongrue constituta videtur. Hic lucidissimus ignis non melius, quam beneficio camphoræ multiplicatur ac propagatur. Sumitur nimirum granum unum Phosphori & grana decem camphoræ adduntur: hæc invicem in mortario probe prius contusa miscentur, quo facto tota camphora fit lucidissima, quæ, si solvitur in oleo caryophyllorum, liquidus fit phosphorus, quo sine noxa & metu inflammationis, caro, cutis, crines, & vestes inungi possunt, quod elegantissimum de nocte præbet spectaculum. Hujus vero lucis phosphori per camphoram propagationis nulla alia subest ratio, quam quod camphora propter summam partium sulphurearum tenuitatem ad intestinum lucidum motum producendum sit aptissima. Id autem minus experiri licet in aliis oleis destillatis, si cum solo phosphoro miscantur. Atque adeo ex hoc etiam experimento peculiaris & eximia camphoræ proprietates ab aliis oleis destillatis distincta elucescit.

§. VIII.

Hæc igitur partium sulphurearum tam incomparabilis tenuitas in camphora efficit, ut ejus quoque usus singularissimus sit, neque oleis aliis destillatis proprius. Ita camphora in universa rerum natura nullum datur excellentius & magis discutiens remedium. Omnes enim humores in tubulis & poris stagnantes promptissime dissolvit, partim poros obstructos aperiendo, partim etiam fibras relaxatas animando ut vel  
exha-



exhalent particulae subsistentes, vel in motum ac circulum redigantur. Qua de causa in omni dolore, sive iste in pericranio, sive perioftio persistat, Spiritu vini camphorato nihil excellentius est. In omni praeterea tumore abigendo, a quacunq[ue] etiam causa subortus fuerit, idem spiritus mirabiles fovet vires, namque tonum fibrarum roborando humorum cursum atque inter promovet. Denique in omni inflammationum genere, imo in ipsa gangraena convenientissimum est remedium, non modo enim praeservat ab his saevissimis malis, sed etiam, si eorum cohibitioni locus superest, nihil hisce casibus ipsa camphora exterius applicata est praesentius, sicuti id solertiores Medici & Chirurghi longo usu atque experientia compertum exploratumque habent. Eiusmodi vero efficacia roborans & discutiens in dolorum & inflammationum atrociam a nullo destillato oleo vel alia inflammabili substantia in rerum natura poterit expectari vel obtineri. Tametsi vero magna quoque oleis quibusdam destillatis aethereis, si debite fuerint soluta, & roborandi partium tonum & fibrillarum exorbitantes motus sedandi virtus insit, ut non sine fructu adhiberi possint: nihilominus in inflammationum vi compescenda inque partis inflammatae ardore extinguendo camphoratus spiritus ceteris multis parafanguis praecedit.

§. IX.

Urut vero a nullo facile Medicorum ejus summa & mirabilis virtus ab usu externo negari possit: nihilominus plures Medicorum extiterunt, & adhuc sunt, qui ejus internum usum admodum reformidant & da-



mno atque exitio facile esse posse sibi persuasum habent, hinc veteres ea rarissime & parca admodum dosi in medicamentis & formulis suis uti consueverunt, nullam aliam forsan ob rationem, quam quod eam credebant calidissimam, quæ intensam sanguinis ebullitionem efficiendo æstum atque delirium accendat. Alii contra eam valde frigidam rati venerem ipsam extinguere credebant, cum tamen effectus ille, qui frigiditati adscribitur, cum intenso calore, qui ab aliis camphoræ adsignatur, minime conveniat. Quidam nimis vaporosam & caput & cerebrum exhalationibus opplentem eam habuerunt, unde affectibus, qui a cerebri nervorumque vitio originem ducunt, eam minus conducibilem medicinam judicarunt. Sed quod omnis hic metus inanis atque frustraneus sit, quo boni illi de cetero ac eximii viri laborarunt, & quod camphora non inficura, sed optima medicina sit, tum ratione & experientia, cum etiam auctoritate, quæ fulcimenta nostræ artis sunt, solide demonstrabimus.

§. X.

Quum vero securum camphoræ usum internum dicamus, primo omnium hoc vocabulum, ne offensionis lapis fiat, dilucida expositione enucleandum est. Sensu itaque medico securum illud audit, quod naturæ humanæ conveniens est, neque in copiosiori dosi datum, facile motus aut turbas in corpore excitat & periculum gignit. Insecurum autem adpellatur, quod valenti agendi principio instructum in minori & proportionata dosi efficaciam exerit, in majori vero commotiones vehementes & excretiones enormes suscitatur. Ex his dictis tamen minime sequitur; (quod etiam tyroci-

roci-



rocinia medicinæ edoctus capere potest) secura non posse nocere, quod per abusum illorum utique solet contingere, quemadmodum etiam de infecurorum utilitate non penitus desperandum, siquidem quando recte, prudenter & tempestive adhibeantur, magna eorum vis & efficacia in perfanandis morbis proditur. Juvat tamen hanc distinctionem medicamentorum in praxi tueri eam ob rationem, ut quivis prudentior Medicus intelligat, abusum medicamentorum infecuriorum & fortiorum plus periculi gignere, quam si quis benignis securisque abutatur, majori itaque cautione ac circumspeditione esse hæc adhibenda, facile nullus ibit inficias, Jam vero camphoram majori in dosi exhibitam plures æstimat infecuriorem, adeoque periculi minus expertem. *Crato* minus æquus camphoræ censor est, & fere ablegat eam in morbis ob dolores capitis, quos concitare putat, hinc robore maxime valentibus subjectis vix tria grana præscribere ausus fuit. Sed præcipuus Auctor hujus præjudicii mihi videtur Medicus alias & Chymicus magni nominis *Daniel Ludovici in Pharmacia*, quem postea multi Professores, Doctores & horum discipuli non pauci usque huc presso pede sunt secuti. Hic in *Pharmatica hodierno seculo adplicanda Dissertat. I. de Diaphoreticis vegetabilibus* camphoram calidissimam resinam dicit, eamque volatilioribus, calidioribus ac vaporosis medicamentis accenset. Dicit porro de ejus operandi ratione, quod producat angustias, solutiones virium funestas, frustraneas ebullitiones, intensioris æstus & insurgentis naturæ confusiones & id genus alia. In eruditis, qui debilioris capitis sunt, itemque in delicatio-



ribus feminis cephalalgias incompefcibiles atque deliria sæpe lethalia in febribus continuis præfertim in earum statu secundum ipsius sententiam excitat. Cum igitur tali modo inter calidiora remedia camphoram reponat citra manifestam sufficientemque rationem, hinc multis eam exilioris virtutis medicamentis postponit. At vero (pace hujus viri dixerim) camphora minime est medicamentum calidissimum & noxium, quin potius prudenter, debito tempore & conveniente dosi exhibitum recensita symptomata februm feliciter tollit & protinus aufert, siquidem camphora ad scrupulum unum vel etiam ad drachmam semis in spiritu vini dissoluta & sano homini exhibita cum sufficienti vehiculo, quemadmodum experimentum multoties fecimus, corpori neque intentiorem æstum aut calorem infert, neque pulsum adauget, sed potius manifestum refrigerium præfertim circa præcordia præstat. Multo minus vero appetitum extinguit, sitim movet, aut urinam coloratiorem reddit, quod tamen ab omnibus nimis calidis fieri debet, hinc ad unicam spiritus vini ingestus vel unicus haustus vini generosi plus caloris corpori, quam duæ drachmæ camphoræ inferam. Quodsi ergo ejusmodi symptomata à camphoratis remediis forsan concita fuerint, tunc sane illum effectum magis calidioribus Essentiis atque Elixiriis, quibus camphora adjecta fuit, quam ipsi camphoræ adscribendum jure tensusum est. Camphora certe propter partium tenuitatem, qua pollet, cito è corpore avolat & intime poros subiens eosque obfidens animando fibras inertes & relaxatas, non modo expeditiorem sanguinis & humorum cursum facit, sed & transpirationem valide adjuvat,



vat tubulos obstructos aperit & peregrinas atque naturæ alienas partes expellit. Quod autem usum internum camphoræ nonnulli reformident, eo quod venem sopiat atque extinguat, id minime experientiæ est consentaneum. Novimus potius camphoram naturam roborando cupiditatem coëundi concitasse. Et notatu digna sunt, quæ clarissimus *Pauli in Obs.* 235. *M. N. C. Dec. I. A. VI. & VII. prodidit: est, inquit, in vicinia juvenis vegetus & sanus, cui meo jussu in omni fere cibo ac potu camphora per aliquot septimanas a matre data fuit, ipse tamen minime recessit ab indole sua puellarum amantissima.*

§. XI.

Nos sumus ea in sententia, quod in universo rerum naturæ sinu vix ullum reconditum sit simplex, quod ad submovendam de corpore malignitatem, cujus naturam in penetranti putredine tam solidarum, quam liquidarum partium reponimus, non detur ipsa camphora præsentius atque potentius. Quare jure meritoque alexipharmacorum princeps dici meretur. Deinceps ad contagii sive maligni miasmatis morbifici vim infringendam, illudque mox ab initio de corpore propulsandum summum camphora est remedium. Morbi enim, qui ex contagio nascuntur, ex putrido quodam vapore seu halitu in interiora corporis suscepto fiunt, qui cum salivali latice in ore mixtus descendens ad ventriculi & intestinorum sinum humores ibi stagnantes ad fermentationem subeundam faciles, ut sunt biliosi & salivales, penitus corrumpit, ipsisque putredinem inducit, quæ postea fluidum corporis nostri tenuissimum, quod maxime in membranis, nervis



vis & fibris habitat, contaminat, unde solidorum vis motrix, tonus & robur perit, quod summa virium convulsio denotat atque sic humores & sanguis tardius non modo circulantur, sed & ad sphacelofam corruptionem inclinant. Quicumque itaque malignos contagiosos corpore arcere vult morbos, is vel ipsum putridum miasma vel quod ab ipso corruptum fuit ex corporis nostri sphaera propellere omni studio atque opera nitatur. Nihil vero ad hoc praestandum aptius est camphora, utpote quae oleo penetrantissimo omnes corporis poros pervadit ipsasque fibras motrices, e quibus solida componuntur, citra augmentum caloris armat, quo fit, ut fluida corporis nostri promptiori cursu per omnes tubulos corporis ferantur, inde stases corruptivae non modo impediuntur, sed & illud tenue putridum sanguini admixtum per glandulas & poros subcutaneos velut congruum omnis excrementi spirituosum tenuis emunctorium expellitur. Unde etiam veteres ejus virtutem in peste & malignis mirabilem agnoverunt. Quam ob causam non modo *Electuarium antipestilentiale Kegleri*, sed & *Pulverem Pannonicum rubrum*, cujus virtus, quae ab admixta camphora maxime dependet, in malignis expellendis febribus semper plurimi habita est ingreditur. Habet quoque camphoram *mixtura simplex Paracelsi* & *famigeratissima Michaelis bezoardica Tinctura*, de qua tamen monendum ducimus, quod, si commotio sanguis ab ejus usu paulo conciator fiat, is effectus non tam camphorae, quam potius aliis admixtis radicibus calidioribus & ingredientibus debeat adscribi. Quam potens camphora sit in sphacelo partium externarum quam profunda inflam-



flammatio minatur, avertendo remedium, vel Medicæ artis & Chirurgicæ elementa edoctis haud ignotum est. Quodsi igitur tanta ejus laus est in sphacelo partium externarum avertendo, quidni etiam ejus usus internus ad interiorum sphacelationem viscerum præcavendam eadem ratione proficius sit? Quum vero ratio ni etiam ipsa experientia optima veritatum medicarum magistra adstipuletur, merito concludimus camphoram in omnibus malignis putridis morbis inque ipsa etiam peste omnibus alexipharmacis esse præferendam.

§. XII.

Huic nostræ sententiæ primo adstipulatur *Mindererus in Lib. de Peste Cap. XV. dum, inquit, nostris laudibus insigniter deprædicanda venit camphora: non mirabile modo, verum etiam forte & efficax alexiterium est. Modum operandi ita explicat: interno nostro calore mox ignita & in corporis quasi medullis flagrans inquinatos spiritus eosque tetros ac fædo miasmate pollutos aut inspiratos veneni tabe aliqua contaminatos halitus jam cordi vicinos ac circa præcordia hærentes exurit & sicco plane ac igneo calore pervadens partem expellit, partem combustionibus absumit, partem corrigit atque emendat, partem per sudorem pellit. Neque Iohannes Crato in Epistolis medicinalibus a Schulzio editis pag 103. diversæ est sententiæ, sed potius hanc confirmat ita differens: adversus pestem multa, quæ pro certissimis habentur, fallacia sunt, camphoram omnia remedia excellere re comperi. Et idem Auctor loc. cit. sequentibus utitur in febris malignis nempe: pulvere ex bolo armenicæ drachma una, camphoræ scrupulo uno, ambre gryscæ granis tribus. Subscribit huic etiam *Fernelius Lib. V. Metho-**



*Methodi medendi Cap. 21. ubi camphoram malignos calidos vapores extinguere statuit. Zwingerus in Epistola ad Monarium inter Schulzianas num. 246. camphoram cum spiritu vini solutam in peste & malignis mirifice commendat. Hartmannus vero in Pract. Chymiatr. pag. 364. aqua antipestilentiali in peste 1629. grassante magno cum fructu usus est & edidit hac de re Germanicum scriptum. Descriptio vero haec est: Rec. Spiritus vini optimi libram unam, camphora unciam unam, croci orientalis scrupulum unum, solvantur & spiritus vini fit aurei coloris, qui ad cochlearia aliquot dandus est. Hujus spiritus largiorem dosin suadet Screti in Tract. de febr. pestilent. pag. 296. cum primis instante crisi in malignis & quod miraculum praestiterit adfirmat. Vidimus quoque ex manuscriptis Beati Wepseri illum in malignis ad drachmam semis pro dosi dedisse summo cum fructu. Nullus vero facile fuit, qui majori dosi felicius illa in malignis & petechialibus febribus usus fuerit ipso Riverio. Neque alienum erit hoc loco notabilia circa ejus usum ex Observat. & Histor. Riverii recensere. Cent. I. Obs. 24. hunc casum insinuat: juvenis sedecim annorum, febre maligna laborans, maculis violaceis conspersus cum delirio & alvi fluxu, sumsit camphora grana duodecim cum pulveris sudoriferi scrupulis duobus; copiose sudavit, delirium cessavit, alvi fluxus imminutus est, & optime se habuit. Et porro Cent. I. Obs. 29. hunc casum adtert: juvenis febre maligna cum exanthematibus laborans die nona moribundus visebatur. Dedit pulveris diaphoretici scrupulos duos, camphora grana duodecim cum aqua cardui benedicti, & lectus in lecto mansit per duas horas, non sudavit, vesperi eadem portio fuit iterata & copiose sudavit, multo melius habuit*

& con-



& convaluit. Denique Cent. II. Obs. 18. hic casus proponitur: Vir quadraginta annorum febre maligna cum maculis lividis, hemorrhagia, pulsu parvo & frequenti laboravit, prescriptus fuit hic pulvis Rec. Salis prunelle unican semis camphoræ semi drachmam, misce, divide in quatuor doses, quarum unam accepit singulis tribus horis, mane multo melius habuit, jussit iterari pulverem & eodem die a presentaneo vite periculo liberatus est ac paucis postea diebus convaluit. Et Obs. 62. Cent. II. hic casus legitur: Juvenis viginti quatuor annorum febre maligna laboravit cum delirio, & circa undecimum diem motus tremuli & convulsivi nervorum visi sunt, administrata fuit vena sectio in fronte & dati fuerunt pulveres ex bezoardico minerali ad scrupulos duos, camphoræ granis duodecim cum aqua cardui benedicti ad unicas duas & evasit. Et Cent. II. Obs. 64. hunc nobiscum communicat casum: Mulier quinquaginta annorum febre maligna cum maculis latis violaceis laborans octavo die potionem diaphoreticam supra laudatam sumsit & addita est ventri & pectori cum spongiis, pulsus inde factus est validior ac magis ordinatus & die undecimo Parotis apparuit, quæ in suppurationem transit & convaluit. Et Cent. II. Obs. 73. idem sequenti confirmat observatione: filia viginti annorum febre laborans maligna, accessit circa undecimum diem delirium cum contractione nervorum in carpis manuum & lipothymia, ordinatum fuit Julabium ex aqua cardui benedicti unciis tribus, aquæ theriacalis drachmis tribus, bezoardic. mineralis serupulis duobus, camphoræ granis sex, qui julepi per biduum usurpati fuerunt, mane & sero, hoc remedio intra paucos dies convaluit.

## §. XIII.

Ex his adductis jam liquidissimum est, campho-

D

ram



ram in malignis præsertim eo tempore, ubi corpus critico motu in eo, quod ipsi inimicum ac perniciosum est, expellendo occupatur, salutarem opem adferre, nullumque dubium est, quin laudatissima nostra camphora adversus pestem tantopere commendatis omnibus remediis, modo debito tempore, quod caput praxeos medicæ est, exhibeatur, sit superior. Quam eximia laus oleo sic dicto *pestilentiali Heinisii*, cujus basis camphora est, constiterit, obscurum esse nequit. Huic viro statuem Romæ ob praxin feliciter in peste gestam erectam fuisse communis est Doctorum traditio. Atque secundum nostram sententiam, si ulla Medicina præsertim camphora multum in peste præstare potest, modo non præpostere, sed recte & ordine habita circumstantiarum & temporis ratione ipsa utamur. Neque enim incognitum est, præsentissimam adversus quendam morbum medicinam minus recte & inconvenienti tempore datam maximum nocumentum adferre, sicuti id clarissime in exhibitione chinæ chinæ ad curandas intermittentes animadvertimus. Inter fortissima alexiteria a viris doctis atque eximiis Medicis camphora numeratur quia putredini mirifice resistit, sed quod non semper expectationi & spei conceptæ effectus respondeat, hoc non remedio tanquam clavæ Herculis, sed Medico, qui Herculis clavam tractare ignorat, adscribendum esse jure meritoque censemus. Nos hujus sumus sententiæ, delinqui maxime in eo, quod camphoram in peste in exili admodum dosi præscribant & majorem reformident. Deinde, quod calidioribus elixiriis & essentiis oleosis ipsam admisceant. Tum quod non convenienti tempore eam exhibe-



hibeant. Nos sub invasione vel prima accessione mali neque minus circa criticum tempus ejus usum convenientissimum judicamus præsertim, si cum acidis ceu vehiculis administretur. Hunc in finem in pestilentialibus febribus sequentem mixturam etiam atque etiam commendamus, fumatur nempe aquæ acetosæ & cardui benedicti ana unica una, bezoardici mineralis drachma semis, camphoræ grana sex, syrupi acetolitis citri unica semis, detur pro una dosi.

§. XIV.

Præterea visitur adhuc in camphora alia nobilissimè virtus putredinem & malignitatem lentam quidem, sed admodum perniciosam ex corporis nostri sphaera propulsandi: talis est, quæ ab impuro coitu lymphæ succis vitalibus & postea solidis partibus ossibus quoque affricatur. Exiguum quidem, sed potentissimum omnium venenorum morè est illud elementum, quod & virulentam gonorrhœam & luem sic dictam veneream ejusque atrocissima symptomata suscitât, intima corruptione & putrefactione succos præsertim lymphaticos contaminando. Præcipuum igitur curationis momentum etiam in eo consistit, ut putridum exterius susceptum miasma prima quasi in herba suffocemus, illudque citius e corpore expellamus, neque minus id, quod putridum & corruptum fuit, a vitalibus succis separemus. Huic vero scopo obtinendo diu jam dudum ex omnibus naturæ regnis remedia quæsitâ & excogitata fuerunt, num vero camphora præsentius & excellentius adhuc fuerit repertum ipse usus atque experientia addocet? Profecto summa in camphora ad gonorrhœam etiam veterem item luem veneream extir-



pandam medicina recondita est qua omnes mercuriales salivationes lignorumque decocta balneaque lachrymica omniaque alia sunt inferiora. Neque ita pridem a Medico, cui fides indubia habenda est, nobis relatum est, quod præmissò conveniente alvum ductorio remedio sola camphora soluta in axungia viperarum ad diram hanc luem persanandam suffecerit, id quod plurimis experimentis & exemplis edoctus D. Præsidi asseveravit. Crediderim tamen mercurio fixato, qui sola diaphoresi agit, qualis D. Præsidis est, camphoram decenti dosi adociatam in tollenda luis hujus atrociam majores adhuc præstare effectus. Hoc certa experientia fide possumus asseverare, quod in gonorrhœa curanda inque luis venereæ principio nihil præsentius camphora deprehenderimus, quare etiam non sine ratione essentiis & elixiris contra gonorrhœam balsamicis, quæ ex Opobalsamo, Balsamo de Capaiba, Balsamo de Peru, Balsamo de Mecha, resina ligni Aloës, gummi Guajaco cum spiritu vini tartarifato præparantur, camphora adjicitur, utpote quæ mirifice horum virtutem acuit atque incendit inque roborando glandularum tono & stasibus corruptivis abigendis mirabilem efficaciam exserit.

## §. XV.

Deinde camphora non datur excellentius remedium contra internas inflammationes, quæ sphacelum & interitum, si graviores fuerint, inque membranis partibus maxime consistant, minantur & maximum periculum alunt. Felicissimo vero connubio tunc conjungitur cum nitro, nam solam camphoram in inflammationibus, quibus maximus æstus junctus est,  
non



non facile suaderem. Etenim, ubi magnus fervor urget, spasma plerumque constrictæ sunt fibrillæ & pori cutis clausi ac coarctati: his apertis & spasmō sedato mox sudor fuit. Quum vero id felicissime exequatur ipsum nitrum, hinc quoque mirum refrigerat & hoc modo efficit, ut camphora felicius & obstructiones resolvere & materiam vitiosam in partibus inflammatis stagnantem discutere possit, metus enim est, ne poris arctè clausis & cute aridissima existente camphora interne quidem multum commoveat, sed parum vel nihil profusus promoveat. Quare in febribus continuis, quæ fere omnes aliquid inflammatorii habent itemque etiam in inflammationum generibus ceteris, in pleuritide, phrenitide, angina, inflammatione uteri magno cum fructu semper usus est *D. Præses* in praxi camphora cum nitro mixta, adjecto pulvere bezoardico, ubi mox ab eorum adsumptione ratione æstus, delirii, sitis, & vigiliæ ingens alleviamentum secutum est. Tales quoque nitrosos & camphoratos pulveres acutus pariter ac prudens *Belgii Medicus Cran* in frequentissimo habuit usu, ut ex ejus *Praxi Medicinæ reformata* adparet. Ita in phrenitide & mania hunc pulverem laudat: Rec. lapidis Prunellæ grana quindecim, camphoræ grana quatuor vel quinque, laudani opii semi granum, misceatur & fiat pulvis. *Ab hoc pulvere, scribit pag. 132. loc. cit. miras aliquando vidi operationes in phrenitide & mania ita, ut ægri ipsi mutationem admirarentur.* In Pleuritide & Peripnevmonia camphoram cum spiritu nitri vel etiam ipso nitro & aqua papaveris rhœados mire quoque commendat. *conf. pag. 197. & in renum inflammatione lapidem prunellæ ad grana duodecim*

D 3

cum



cum camphoræ granis quatuor miscet & præscribit. *conf. pag. 207.* & in febris continua pro siti sedanda grana tria camphoræ pulveribus addenda esse suadet & talem pulverem in febre pestilentiali cum bezoardico minerali quoque commendat.

## §. XVI.

Denique camphora in hæmorrhagiis valde periculosis & enormibus, præsertim, quando febribus malignis junguntur, miras præstat vires. Hac de re elegantem locum habet *Rægerus in Observationibus medicinalibus obs. 20.* ubi ita scribit: *Nihil frequentius apud nos est in variolis, morbillis, & febribus petechialibus, quin & ipsa præterita anno 1679. peste, quam hæmorrhagia narium quandoque ab initio, quandoque in statu morbi superveniens & quoniam rarius critica, semper, imo sæpius symptomata morbum non solvit, sed potius exanthematum eruptionem impedit, spiritusque dissipat, agrumque debilitat, hinc omnibus modis sistenda, vix autem melius & magis adpropriatum inveniri potest, quam Sperniola Crollii, cujus miram efficaciam semper tuto & optime sum expertus. Et confirmant hanc adfertionem observationibus anni 1685. In hyeme puella duodecim annorum petechiis laborans corripitur hæmorrhagia narium, quam cum domesticis remediis reprimere non potuissent & tota nocte sensim ita stillasset sanguis, mane vocatus ego, obstupui conspecta quantitate sanguinis, tunc cum gossypio pulverem ex colcothare vitrioli, sanguine Draconis & terra sigillata consperso obturavi nares & exhibui Sperniolam ad scrupulum unum & post tres horas rursus, & tertia vice reiteravi, sic sanguis non modo substitit, verum & petechiæ jam disparentes erupere sensimque puella convalevit & adhuc vivit.* Et porro  
anno



anno precedenti vocatus sum ad feminam, in quartum diem febre acuta maligna detentam, mane insuper abortum passam, huic circa vesperam hæmorrhagia enormis supervenit, ut usque ad nonam noctis plus quam duæ libræ sanguinis effluerint, cum valde debilis esset, exhibui statim Spermiole scrupulum unum cum aliquot granis Coralliorum præparatorum, at nares obturavit gossypio atramento scriptorio imbuto, ita effecit, ut intra breve tempus systeretur. Jussit, ut singulis tribus horis pulvis reiteretur, sic hæmorrhagia totaliter emansa & illa convenienter tractata convaleuit. Nec in hæmorrhagia narium solum, verum & in hæmoptysi optimum ejus successum idem Auctor expertus est. Componitur vero hoc medicamentum ex myrrha electa, thure, fumendo uniuscujusque unciam unam, ex croci granis quindecim, ex camphoræ drachma una & dimidia, qui pulvis aqua spermatis ranarum vigesies vel trigesies irroretur: ita tamen, ut semper prius sponte exsiccet. Confectio de Hyacintho ejusque species laudantur etiam in nimis hæmorrhagiis, in malignis morbis & aliis, utut compositio ex pretiosis adeo lapidibus conflata curiosa videatur, quicquid tamen præstat potissimum camphoræ intermixtioni adscribendum. *Heurnius* ad omnem sanguinis fluxum maximo cum successu semper propinavit sequentem pulverem *in notis ad aphorism. Hippocr. Rec. feminis* paveris albi, hyoscyami albi cujusque drachmam, hæmat: corallia rubra cujusque semidrachmam, camphoræ scrupulum semis: sumat mane & vesperi semi drachmam. *Craen in Praxi reformata* in narium hæmorrhagia sequentem pulverem maxime commendat *Rec. lapidis Prunellæ scrupulum unum, camphoræ grana tri-*



tria usque ad quinque, laudani opiatu granum unum. item Rec. boli Armeniae, terrae sigillatae, cujusque grana quindecim, camphorae grana quatuor. Camphora vero cum nitro in omnibus haemorrhagiis magnae est efficaciae, eam maxime ob rationem, quod graves haemorrhagias, si a causis internis proficiantur, nempe a viscerum & mesenterii spasmodicis & constrictionibus tanquam egregium antispasmodicum cohibeat.

§. XVII.

Præterea camphora in discutiendis flatibus, qui hypochondriaca, hysterica & colica passione correptos sævisisimisque sæpe symptomatibus torquent, mirabilem præstat opem. Dicitur vix potest, & quotidiana id indicat observatio, quantam truculentiam in ventriculo & intestinis detenti atque incarcerati exercent, nimia enim tunicarum sensibilibus expansione & distractione maximas angustias, anxietates, spasticas nervosarum partium constrictiones, quas excretionibus suppressæ, & extremorum frigora insequuntur, non sine ingentis periculi & mortis metu concitant. Nihil hic opportunius est, quam ut penetranti medicina tonum ventriculi atque intestinorum dejectum, qui plerumque flatuum causa est, restauremus, quo vividiori reddito, non modo flatuum, sed & humorum aliorum excrementitiorum ibi hærentium copia feliciter foras eliminatur. An vero quid præstantius ad hunc scopum obrinendum ipsa camphora cum nitro mixta inveniri possit, est quod merito addubitemus? sicuti enim nitrum cum camphora in pluribus casibus felicissimum in init conjugium: ita maxime id fit, ubi carminativam vim exercere debet, quia solum nitrum relaxando spasmos & biliosam acrimoni-



moniam partiumque calidam intemperiem temperando in vehementibus colicorum tormentis miracula præstat, multo magis vero, si felici copula jungatur camphora. Meretur vero hoc medicamentum longe majorem laudem atque palmam, quam aliud ullum ex calidioribus præsertim concinnatum carminativum, eam ob causam, quod citra interni fervoris augmentum operetur, quæ virtus aliis calidioribus, in flatibus discutientis negata est. Varia vero forma ac modo in talismodi casibus camphora poterit exhiberi, vel enim in liquidam aut solidam formam redigi poterit, si illam desideras, sequens formula selectissima laudem meretur.

Rec. Tincturæ tartari, Essentiæ corticum aurantium recentium, spiritus nitri dulcis cujusque drachmas duas, camphoræ grana decem, misceantur, dosis sunt guttæ quinquaginta vel sexaginta, singulis duabus horis. Si vero spasmi truculentiores urgeant, tunc castorina possunt admisceri nempe Essentia vel Extractum ejus. Pulverem si expetas, ille sequenti modo concinnari potest. Rec. lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici, nitri purificati cujusque drachmam unam, camphoræ grana decem, olei chamomillæ vulgaris non adulterati vel olei millefolii guttas sex, misceantur, fiat pulvis, dosis est drachma semis. Hæc duo magnarum virium sunt remedia, quæ in hysteriis compescendis pathematibus omnes fere numeros absolunt. Etenim hæc ipsa præter virtutem roborantem & flatum discutientem simul sedativam & anodynam habent, quæ in talismodi casibus desideratissima est.

§. XVIII.

Est præterea camphoræ alia adhuc laudatissima  
 E virtus



virtus atque efficacia infusa, nemp̄ sanguinis excretiones consuetas & naturæ solennes promovendi. Haud ignotum in foro Medico est, quam gravia symptomata suppressas vel deficientes ordinarias sanguinis periodicas in plethoricis præsertim feminis evacuationes sequantur, cum nihil certius, præsentius & celerius statum sanum in deterius commutare his ipsiis possit. Neque vero tam facilis res est Medico, opportuna medicina in ordinem talismodi salutare excretiones restituendi. Fateor vero ex omnibus tantopere ad id perficiendum laudatis remediis, nihil camphora esse excellentius, præsertim, si cum balsamicis & antispasmodicis specificis, quorum virtutem non parum accendit & auget, misceatur. Nostri moris est, hac uti mixtura: Rec. essentia myrrhæ electæ, succini cujusque drachmam semis. Essentia croci, castorei cujusque drachmas duas, camphoræ drachmam semis, quæ mixtura præmissa venæ sectione atque alviductione circa instans mensium tempus frequentius usurpata eximio usui erit. Observavimus scilicet a frequenti & continuato camphoræ usu sanguinem antea crassum longe tenuiorem & fluidiorem redditum fuisse. Observavimus quoque homines obesos & sero turgidos quodammodo macilentiores factos fuisse evidenti argumento: hanc medicinam egregie humores crassos & stagnantes attenuandi & dissolvendi virtute gaudere.

§. XIX.

Est denique usus camphoræ singularis atque eximius in morbis, qui vesicam infestant, quales sunt dysuria, stranguria qui ut plurimum vel a vesicæ calculo vel a viscida tartarea in ejus cavitate stagnante saburra vel a semi-



feminali lympha corrupta & acri facta nunquam non  
proveniunt. Etenim a læsione substantiæ vesicæ pu-  
tridus quidam corruptus fit humor, qui urinam præ-  
cipitat, ipsamque putridam efficit, quæ postea eximio  
sensu præditam urethram membranofam lancinat at-  
que dolore adfligit. Ad putridam igitur in vesica &  
urethra stagnantem materiam summovendam fortiori  
quodam roborande & stimulande opus est. *Johann*  
*Græneveld* Anglus Medicus *tractatum* edidit Londini  
anno 1703. de *uto cantharidum in medicina usu interno*,  
qui in vesicæ vitiis, in ejus calculo, in gonorrhœa quo-  
que virulenta cantharidum pulverem cum aliquot gra-  
nis camphoræ mixtum præscribit, ejusque insignem  
utilitatem non satis dilaudare potest. Cantharides so-  
læ & sibi relictæ ob sal, quò pollent, tenue, penetrans  
causticum validissim vesicæ partes nerveo-membra-  
nosas stimulant, & impactum viscidum, acrem humo-  
rem excutiunt, quia vero metus est, ne inflammatio-  
nem vel vasorum apertionem efficiat, camphora adji-  
citur, quæ causticæ vehementiæ non modo optima  
correctrix est, sed & stases inflammatorias impediendo  
facit, quominus periculosa inflammatio subsequatur.  
Etenim camphora non tantum vehementiorum diure-  
ticorum, quæ erodente sale prædita sunt, vehementi-  
am mitigat atque castigat, sed & valentioribus acribus,  
purgantibus, quæ simili caustico acri sale agunt ceu  
summum correctorium quam opportune admiscerur,  
utpote omnia cathartica, si paucillum camphoræ ipsis  
adjicitur, longe mitiorem naturam ac facultatem indu-  
unt.

§. XX.

Hiscæ jam diductis ac demonstratis, quod campho-  
ra sit securissima medicina, reliquum jam est, ut de  
E 2                          ejus



eius utendi ratione monita breviter adjiciamus. Quemadmodum vero nullum optimum etiam medicamentum semper juvat, quin potius improvide & intempestive datum nocet, ita etiam nulla hac in re camphora gaudet prerogativa. Nam & ratio dicitur & experientia confirmat, quandoque oriri ab ejus improvido usu anxietates circa praecordia, cephalalgias augeri, adpetitum destrui. Fit hoc maxime in iis, qui infirmioris sunt naturae & facile a levi mutatione laeduntur. Accidit quoque in iis, qui capitis & cerebri vasa sanguine & humoribus repleta habent seu ubi inaequalis humorum circuitus est, & cum impetu sanguis forsitan propter membranarum & vasorum atoniam ad caput ruit, quod ex facie tumida & rubicunda, dolore capitis gravativo, vertigine, torpore, somnolentia adparet. Quo casu utique omnia volatilia & vaporosa spirituosa praesertim in majori dosi exhibitia nocent. Quare etiam Paralyticis, Epilepticis & convulsionibus diris afflictis cum cautione & parca manu sunt concedenda. Neque minus congrua praesertim in excessiva dosi sunt plethoricis & repletis corporibus, utpote motum intestinum, in humoribus, quorum liberior cursus ac iter impeditur, efficiunt &, ut dici solet, movent, sed non promovent, hinc anxietates & inquietudines vel producant vel augent. Neque in alvi adstrictione utilia sunt, quia fibras intestinales siccando nimium efficiunt, quo alvus tardior descendat. Denique in omnibus acutis, ubi omnia interiorius fervent & ardent, humidumque deficit, cutis sicca & torrida est & omnia constricta sunt, ea remedia, quae motum intestinum augent interiorius, nequaquam locum inveniunt. Praestat etiam tali in casu lenissime agere & naturae potius frenum, quam stimulum injicere: nam in acutis nihil praecipitandum est, sed omnia moderate ac tempestive sunt agenda. Quapropter in horum morborum augmento vel statu cautissime procedendum est. Tutius in principio vel instanti crisi, si natura eget stimulo vel sub declinatione, locum habent.



Halle, Diss. 1714 (A/L)



Sb.









3  
17748d

Q. D. B. V.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO CAROLO**  
BORVSSIÆ PRINCIPE MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO RELIQVA

PRAESIDE  
**FRIDERICO HOFFMANNO**  
COLLEGII MED. h. t. DECANO

DE  
**VSV INTERNO**  
**CAMPHORÆ SECV-**  
**RRISSIMO ET PRÆ-**  
**STANTISSIMO,**

PRO DOCTORIS GRADV  
publice disputabit  
**M. CHRISTOPH. HENRICVS KEIL,**  
Oelfnitio Variscus

*H. L. Q. C.*  
*Ad. d. XV. Decembr. Anno M. DCC. XIV.*

**HALÆ MAGDEBURGICÆ**  
Litteris CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, acad. typ.

